

§. XXII. Si quisquam alius, sane IO. KREMERVS, huc referendus. Captivus ille ob Anabaptisticos errores in Arce erat Dislachon, in Comitatu Marchiae ad Rhenum sito. Accersebatur ab illustrissimo Clivenfi Principe Georgius Cassander, ut cum homine colloqueretur, illumque errantem, si fieri posset, in regiam viam reduceret. Ipse namque saepe postularat, pium aliquem & eruditum virum sibi dari, qui eum institueret, se libenter auditurum, & sanae doctrinae, sicubi per errorem lapsus esset, auscultaturum. Audiens igitur ex quaestore, talem nunc adesse, respondit summa animi demissione, & propemodum lacrymans, se ingentes agere gratias Principi, & aliis bonis viris, qui tanto studio salutem eius procurarent, se quoque docilem futurum, & libenter, sicubi per sacras literas erroris convinci posset, cessurum. Id quod etiam illum praestitisse certum est. Post unum enim alterumque confictum, non assensum modo Cassandro praebebat, sed diserte etiam profitebatur, in his rebus, de quibus secum actum esset, conscientiam suam invenire talia, in quibus acquiescere posset, velle se in posterum, doctrina, iuxta & vita, pii, & Christiani, hominis officium exprimere, ingentesque gratias agebat Cassandro, pro labore, quem in eo fideliter instituendo consumsisset. vid. Act. huius Colloquii apud Cassandr. in Opp. p. 1234.

§. XXIII. IO. BOCCOLDVS, a Patria vulgo LEYDEN-
SIS dictus, Monasterii, quae urbs est in Westphalis sita, Regem se fecit Anabaptistarum, typum vel praeludia daturus regni, a Christo aliquando, quae eorum erat persuasio, instituendi. Erant enim principiis chiliasticis, iisdemque crassioribus, infecti, Christi regnum, terrenum nempe & corporale, praestolabantur. Nolo nunc omnia recensere, quae Reguli huius auspiciis Monasterii acta sunt. Copiosam de iisdem narrationem habet Wigandus in Anabapt. p. 325. fqq. Hoc sufficiat dixisse. Regnum, cui aeternitatem pollicebantur, vix aliquot annos duravit, ipso met Rege, nec non Cnipperdollingio & Krechtingio, forcipibus miserandum in modum discerptis, & in perpetuam rei memoriam, ferrea cavea, ex summa primi templi turri suspensis. Cum Rex captivus teneretur, misit Philippus, Hassorum Princeps, Antonium Corvinum, & Io. Kymaeum, Theologos praestantes,
& eru-